se. Sunt ea Austriacorum Principum in familiam nostram merita, vt ijs agnoscendis nulla gratia par, testandis omnis conatus superuacaneus sit : Neque aliam beneficentia Vestra, quàm sit ipsamet sibi, reposcit mercedem. Quemadmodùm tamen flumina in mare, vnde ortum habent, redire non ideò desinunt, quòd illius immensitatem suo non augeant affluxu, ita tametsi magnitudini Vestræ nostris nihil studijs possit accedere, adeò tamen effusam benignitatem quâ possumus animi testificatione non prosequi nefas sit. Quò si faciant tot ingeniorum, quæ per Vos Societas alit, consecrata nomini Vestro monumenta; quod eidem ego L. M.Q. dedico, vtinam & inter ea locum, & apud Vos fauoris aliquid atque approbationis reperiat! Regi quidem Hieroni scio nihil dicaturum fuisse libentiùs Archimedem, quàm dimetiendi quadrandique circuli rationem, neque impotentiore vnquam lætitiâ suum ἕυρηκα, quàm hâc repertâ ingeminaturum fuisse; verùm quod tantò augustiore nomine insigniatur; &, tanquam vobis non indignum, Austriacum vocetur, quanto interuallo illius vota vt superet, necesse est? Nominis Vestri mensuram nemo expleat præter Vos. Sed studij & obseruantiæ, non ambitionis fuit, digestum à me problema Austriacum vocare. Et dominorum liberti, & patronorum clientes sibi induunt nomina. Nec quidquam tutius quàm quod Regio nomine signóue munitur. In arduo posita atque inaccessa est Vestra gloria. Sed facilis ad benignitatem patet aditus

tus